

Oseam ad hunc locum, ubi causam adduximus, cur ursa tantoperè raptis catulis sæviat. (1)

VERS. 11. — CONGREGETUR AD TE UNIVERSUS ISRAEL, A DAN USQUE BERSABEE, QUASI ARENA MARIS INNUMERABILIS, ET TU ERIS IN MEDIO EORUM. Duo dixerat Achitophel; primum, ut sibi duodecim hominum millia tribuerentur; deinde ut ipse tanto exercitui præficeretur imperator. Utraque confutat Chusai, et docet congregandum esse prius totum Israel, ne posset David aut occultari, ut maximè cupiat, cum innumeris futuri sint quasi venatici canes, qui omnibus illum vestigiis indagent; neque vis sit ulla adversaria, quæ tanti exercitus impetum et pondus sustinere possit. Deinde ut rex ipse bellis intersit, cujus auspiciis administrantur omnia. Quod ad priorem partem attinet, à Dan usque ad Bersabee conscribi copias jubet, et quàm maximè possit, copias armari. Sunt enim duæ istæ civitates, quæ omnia promissæ terræ spatia definiunt. Unde in Scripturâ frequens: *A Dan usque Bersabee*. Hæc porrò multitudo variis in Scripturâ modis explicari solet. Primò locustarum similitudine, quâ Judicum 6, vers. 7, hostium, et gregum multitudo significatur: *Ipsi enim, et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum cuncta vastabant*. Et cap. 7, vers. 12, Madianitæ, et alii dicuntur jacere in terrâ fusi, ut *locustarum multitudo*. Explicatur etiam sumptâ similitudine ab arenâ maris, ut hoc ipso in loco Jud. 7, vers. 12, et multis aliis. Altera sumpta à rore, qui è superiori loco cadit super herbam, quam opplet, et quodammodo subjicit. His duabus similitudinibus utitur Chusai; à terrâ hoc loco, à rore v. 12: *Operiamus eum sicut cadere solet ros super terram*. Qui dicendi modus etiam profanis familiaris est, qui copiosum exercitum, nimbum et nubem vocant. Sic Virgil. *Aeneid*. 7: *Insequitur nimbus peditum, clypeaque totis Agmina densantur campis*.

Et Silius lib. 12, *telorum nimbum*, et Claudianus *belli nubem* appellat.

(1) VERS. 8. — NEC MORABITUR CUM POPULO. Hebræus: *Non pernoctabit cum populo*. Non permanebit in medio multitudinis, parum tutus; curabit ut per noctem tutum sibi quærat perfugium, ne improvisus opprimatur. Verendum ego maluerim: *Non permittet ut populus noctem negligat*.

VERS. 9. — ET CUM CECIDERIT UNUS QUILIBET IN PRINCIPIO. Reddi potest Hebræus: *Si impetus in illos fiat*, vel, si festinemus aggredi Davidem, *in principio*, statim per ora hominum dissipabitur, copias tuas victas perfugasque fuisse. (Calmet.)

Quod verò secundo loco dicit, magni momenti est. Neque enim milites admodum curarent, quid Achitopheli placeret, à quo mercedis nihil essent accepturi pro re præclarè gestâ; neque illius aspectus aut confirmaret languentes, et desperantes animos. Aut si diffunderent, quod sæpè solet, quando res subito, et sine consilio geritur (quia tunc sicut citò excitatus est, sic etiam citò restinguitur animorum ardor) aut si transfugerent ad inimica castra, in officio posset, aut acie continere. Sanè magnum ab imperatoris conspectu res bellicæ capiunt emolumentum, ut docent omnium gentium annales tam novi, quàm antiqui, qui magnas res produnt feliciter gestas præsentem rege, et illo absente miserè dissolutas. Eo certè nomine laudat Plinius in suo Panegyrico Trajanum, et quid imperatoris præsentia opis militibus attulerit, quantum iniecerit ardoris, eleganter exprimit, et ad rem præsentem accommodatum maximè. Ait enim apud milites admirationem, et amorem comparasse, idque hoc modo, utar ejus verbis: *Cum tecum in ediam, tecum ferrent sitim, cum in illâ meditatione campestri militaribus tuis imperatorum pulverem, sudoremque misceres, etc.* Quid cum solatium fessis, ægris opem ferres? Non tibi moris tua inire tentoria, nisi commilitonum antè lustrasses, nec requiem corpori nisi post omnes dare. Quid? pro tam humano, atque benevolo principe nonne omnes quantumcumque timidi, hostili ferro latus opponerent, et in omne discrimen caput objicerent? Quid, quòd idem imperator, teste Suidâ in Trajano: *Milites in prælio vulneratos curabat; cum autem fasciæ, et volumina deficerent, nec suæ quidem vesti pepercit, sed eam totam in ligamenta discidit*. Extat Synesii elegans ad imperatorem Arcadium exhortatio, quâ monet, ut ipse bellis intersit, in quâ rationes affert multas, et graves, quas hic referre opus esset longum. Præcipuæ illæ sunt, quas Onosander Strategicus adducit cap. 42: *Si quid, inquit, subito confici optet imperator, primus ipse manu operi admotâ conspiciatur. Neque enim militum vulgus adeò potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verècundiam pulsantibus. Conspectus enim aliquis ducem suum in re atrectandâ omnium principem, festinandum esse animadvertit, cessare erubescit, imperatisque non parere veretur: nec jam ut servus, aut*

imperio subditus, sed commilitonis instar ad opus quoque provocatus accedit. (1)

VERS. 13. — QUÒD SI URBEM ALIQUAM FUERIT INGRESSUS, CIRCUMDABIT OMNIS ISRAEL CIVITATI ILLI FUNES (2), ET TRAHEMUS EAM IN TORRENTEM, UT NON REPERIATUR NE CALCULUS QUIDEM EX EA. Accommodat Chusai orationem suam ad adolescentis insani vanissimum ingenium, qui superbè de se cogitat, et nihil suæ felicitati ac viribus non pollicetur. Duo loca sibi eligere posset ad resistendum David; aut campestris locum, qui nullis vallatur mœnibus; aut urbem aggere munitam. Si locum, qui cœlo sub est aperto, erit Absalomis exercitus sicut ros, qui patentem agrum sine ullo impedimento, ac morâ humectat, et complet: si verò ad civitatis alicujus septa confugerit, tunc innumerabilis multitudo implicatam funibus civitatem non majori difficultate à fundamentis convulsam in torrentem præcipitem dabit, quasi truncus foret, aut ramus ab arbore decussus. Hoc esse reor proverbiale, atque hyperbolicum dicendi genus, quo gloriosi, atque arrogantes milites tunc utuntur, cum suas venditant vires, et cœlum, ut aiunt, territant armis. Hoc videntur usi, licet paulò obscurius, Isaïæ cap. 7, reges Samariæ et Syriæ, cum adversus Judam exercitum valdè copiosum collegerunt: *Ascendamus, inquit, ad Judam, et suscitemus eum, et avellamus eum ad nos*. Quasi dicerent. Non erit opus ad opprimendam Judæorum potentiam nostras explicare acies, et bellicis machinis muros verberare; satis erit nobis, si funibus circumvolutam urbem devolvamus ad nos; avellemus enim à fundamentis, proculque

(1) VERS. 12. — OPERIEMUS EUM, SICUT CADERE SOLET ROS SUPER TERRAM. Tumido et exaggerato sermone utitur Chusai, ut assentetur superbo et ambitioso juvenis animo; nihil ab illo audias, nisi conterendos, opprimendos terrore, præsentia, numero copiarum hostes. Comparatio roris in terram cadentis cum agmine ruente in adversarios, minus scita et ad rem exprimentam idonea nobis videtur, apud quos nec ros abundat, neque ita cadit, ut sensibus percipiatur; contraria tamen omnia in Palestinâ eveniunt, ubi rarissimos æstate imbres supplere fertur singulis noctibus cadens ros largus adeò et abundans, ut sub nostro cœlo imbres. *Rorarios* appellabant Romani levis armaturæ milites, qui primas velitationes obibant, quòd ruerent in hostes, uti ros super terram. Plautus in *Friularia*: *Ubi rorarii estis? En sunt*. (Calmet.)

(2) Vox Hebræa quæ sonat *crates* et *funes*, accipi etiam potest de copias, ut hæc sententia reddatur: *Omnis Israel assumet copias, et nos trahemus eam in torrentem*. Sed prior interpretatio magis prona videtur. (Calmet.)

ad nostros usque fines adducemus. Hæc eadem Chusai arrogantissimo adolescenti persuasit, qui, quo erat spiritu insolenti, ac vano, non minora de suâ fortunâ meditabatur.

In illo quoque, ut non reperiat ne calculus quidem ex eo, proverbialis est, et hyperbolica figura, quæ sæpè occurrit in Scripturâ sacrâ, cum de civitatum excidio sermo est. Ezech. capite 26, de Tyro: *Radam pulverem ejus de eâ, et dabo eam in limpidissimam petram*. Isaïæ capite 14, de Babylone: *Et scopabo eam in scopâ terens*. Lib. 3 Reg. cap. 14: *Mundabo reliquias domûs Jeroboam, sicut mundari solet finis usque ad purum*. Hoc hyperbolico dicendi genere usus est Christus, cum de Jerusalem dixit Matth. cap. 24: *Non relinquetur lapis super lapidem*.

Chrysostomus magnam hic Chusai prudentiam, et in ejus oratione artificium considerat, et Absalomem notat stuporis ingentis. Sic autem ille in Psalm. 7: *Vocat etiam Chusai, qui ad ipsum transfugerat per simulationem, et eum facit ejus, quod petebatur, consilii participem; quod non erat humanæ rationi consentaneum, ut eum, qui recenter venerat, tanto honore afficeret, et fide dignum existimaret, ut etiam de rebus ejusmodi eum esse vellet consiliarium: sed quando Deus est ductor, etiam quæ sunt difficilia, evadunt facilia. Quid verò Chusai? Nunquam, inquit, aberravit Achitophel. Vides prudentiam viri? Non reprehendit statim ejus sententiam, sed cum laude. Eum enim laudans, quòd opportunum antea consilium dedisset, ita præsentem vituperat sententiam. Quod autem dicit, tale est: *Mirror, quomodò nunc erraverit; non enim mihi esse videtur utile consilium*. (1)*

(1) VERS. 14. — DOMINI NUTU DISSIPATUM EST CONSILIUM ACHITOPHEL. Hebræus: *Domini præcepit infringere consilium Achitophel*. Auctore Deo, Chusai consilium magis quàm alterum ab Achitophelè datum, probatum est. *Præcepit*, id est, paravit mentes et animos, ut abirent in sententiam Chusai. Solemne est Scripturæ nos ad Deum ubique revocare; omnia eidem auctori tribuit, cavetque ut humanorum casuum non nisi umbram quamdam aspiciamus; quin et ea quæ in medio esse posita videntur, considerata nunquam proponit, nisi ut ad Deum et divina ejus consilia referuntur. Permittit autem Deus non rarò, ut impii proponant vel sequantur consilia quæ fatia ipsis et exitiosa futura sunt. Plerumque qui fortunam mutaturus est, consilia corumpit, efficitque, quod miserrimum est, ut quod accidit, etiam meritò accidisse videatur, et casus in culpam transeat. (Calmet.) *Alors Absalom dit: L'avis de Chusai est meilleur*.



VERS. 17. — JONATHAS ET ACHIMAAZ STABANT JUXTA FONTEM ROGEL. Fecit Chusai, quod illi fuerat imperatum à rege, capite 15, vers. 35, aperuitque Sadoc, et Abiathar sacerdotibus

leur que celui d'Achitophel. Mais ce fut par l'ordre du Seigneur que le conseil d'Achitophel, qui était le plus utile, fut détruit. Le conseil d'Achitophel est appelé utile par l'Écriture, parce qu'il conduisait Absalom infailliblement à la fin à laquelle il aspirait, qui était de perdre David et de régner en sa place. Cependant l'avis que propose Chusai paraît si probable, qu'il est difficile de ne s'y pas laisser éblouir.

Il arrive ainsi souvent que, dans les affaires non criminelles, comme était celle-ci, mais très-innocentes et très-justes, la fausseté n'est pas moins vraisemblable, et qu'elle est quelquefois même plus plausible que la vérité. C'est pourquoi nous avons besoin d'une lumière non seulement humaine, mais divine, pour nous défendre de toutes ces lueurs fausses et trompeuses qu'un raisonnement artificieux jette dans l'esprit.

Le conseil d'Achitophel fut ainsi détruit, afin que le Seigneur fût tombé Absalom dans le malheur dont il était digne. Saint Augustin admire cette puissance souveraine que Dieu fait paraître dans le gouvernement du monde, et qui est encore plus incompréhensible dans les méchants que dans les bons. Car il n'est pas étrange que Dieu, qui habite dans les âmes pures, et qui leur fait faire tout le bien qu'elles font, tourne leur cœur vers tous les objets où il les porte lui-même par l'impression de son esprit. Mais c'est une merveille que nous adorons sans en pouvoir sonder la profondeur, que Dieu agisse avec un pouvoir suprême dans les âmes mêmes de ceux qui lui résistent et qui le combattent, et que sans qu'il ait aucune part au dérèglement de leurs désirs, il dispose tellement toutes les circonstances des choses qui les environnent, et qui ont une étroite liaison avec les secrets mouvements de leur cœur et de leur esprit, que lorsqu'ils s'imaginent qu'ils font malgré lui tout ce qu'ils veulent, ils ne font néanmoins que ce qu'il lui plaît. Deus, dit ce saint, *habet sine dubio humanorum cordium quod placet inclinandum omnipotentissimam potestatem*. Il n'est pas besoin d'être chrétien pour connaître cette grande vérité. Il suffit de n'être pas plus aveuglé que les païens, qui ont été obligés de rendre gloire à Dieu en cette rencontre, étant convaincus de ce principe par les marques sensibles de sa providence, qui éclate souvent dans la protection des bons et dans la punition des méchants. (Sacy.)

VERS. 15. — HOC ET HOC MODO CONSILIUM DEDIT ACHITOPHEL. Nullane secreti lege tenebatur Chusai erga Absalomum, qui sese in consilium admiserat? Porro secretum jure naturalis imperatur, neque illud prodere datum est, nisi cum præceptum aliud gravius urgeat, quod impleri nisi secreto violato non possit. Chusai in consilium Absalomum admittitur: quare et silentium illi pollicitus fuerat; ea tamen obligatio quæ tenebatur in patriam, in regem legitimum, et in rempublicam, et tempore prior erat, et jure potior. Servare regem suum, vi-

omnia, quæcumque essent in senatu disceptata; quæ ipsi per filios, qui extra civitatem parentum expectabant mandata, Davidi renuntiarent. Illi autem stabant in eam curam, et expectationem intenti, juxta fontem Rogel, qui, ut habes Josue capite 15, est prope Jerusalem, et sortem Juda à meridianâ plagâ à Benjamin funiculo distinguit, et est utriusque termino communis. Ad hunc igitur fontem ancilla quædam, quæ minus Davidis hostibus suspecta videri poterat, specie lavandi pannos, ut nonnulli putant, in quibus est Josephus, et Hebræi, teste Hieronymo, egressa est, re tamen verâ, ut quid gestum esset in urbe, et in Absalomis transacto consilio, duobus adolescentibus aperiret. (1)

VERS. 18. — VIDIT AUTEM EOS QUIDAM PUER. Hic puer filius esse creditur illius ancillæ, quæ à duobus sacerdotibus ad duos illorum filios mandata pertulerat. Ita Hebræi ex Hieronymo in Traditionibus Hebræicis, qui cum nesciret, quantum et matri, et aliis periculum astrueret; aut certè, quia aliquam gratiam inire ab Absalome voluit, ad illum retulit quid vidisset ad fontem. Tunc autem Absalom cursores misit veloces, et strenuos, qui captos retraherent à viâ. Illi autem cum rem essent odorati, cum pervenissent in Bahurim, ingressi sunt domum viri sibi ut apparet noti, et amici, ut ibi tamdiu laterent, donec nihil ab emissariis illis foret periculi.

HABEBAT PUTEUM IN VESTIBULO SUO. Cum tota Palæstina paucis in locis aquas haberet jugiter manantes, frequens erat cisternarum, seu lacuum, qui etiam putei dicebantur, usus; ex quibus pluviales aquas ad potum, aliosque domesticos usus haurirent. Hi verò putei, seu cisternæ interdum erant siccæ, quia jam collectæ in illis aquæ defecerant, aut quia dissipatæ, atque rimosæ cisternæ collectam aquam continere non poterant. Talis erat cisterna, in quam Josephus à fratribus demissus fuit Ge-

tare civile bellum ac patriæ desolationem non poterat, nisi prius Absalomis factionem everteret; frustra autem hæc conatus fuisset, nisi consilii hostis Davidi proditis. (Calmet.)

VERS. 16. — NE MORERIS NOCTE HAC IN CAMPISTRIBUS. Verebatur Chusai, ne forte Absalom ad consilium Achitophelis regrederetur, et improvisus per hostem Davidem opprimeret; monuitque Davidem, ut cautus secederet trans Jordanem, aliam consilium pro vallo inter sese et Absalomum. (Calmet.)

(1) NON ENIM POTERANT VIDERI, AUT INTROIRE CIVITATEM. Hebræus: *Quia non poterant videri ingressi urbem. Interdictus illis fuerat ingressus, ne detegerentur.* (Calmet.)

nes, capite 37, et lacus ille, in quem Jeremias conjectus est. Puteus ille occultandis juvenibus commodissimus fuit, quia nemo existimaret in patenti loco latuisse illos, quorum vita ad certum discrimen vocabatur.

VERS. 19. — EXPANDIT VELAMEN SUPER OS PUTEI, QUASI SICCANS PTISANAS. Sic callidè mulier latebras illas occultavit, ut neque ullum in domus vestibulo putei vestigium appareret. Expandit enim supra illius os stragulum, in quo ptisanas posuit, quasi multò antea illas ad solem siccare voluisset. Ubi *Vulgatus ptisanas*, Hebræi *riphoth*, ejus significatio obscura est. Quidam hordeum decorticatum esse putant, alii frumentum, alii hæc non decorticata solum, sed etiam contusa, et in farinam redacta, ex quâ pulles fiunt, sive polentæ. Translatio Hispanica reddit *trigo pilado*, *Vulgatus ptisanas*. Hæc verò sunt variorum seminum farinæ, seu cremores. Horatius ptisanarum meminit ex *oryzâ* lib. 2, *sâtira* 3:

*Tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.* Hunc igitur granorum cremorem aut contusa granâ siccare se simulabat solers illa mulier, quæ duos illos sacerdotum filios abscondit. Unde nonnulla conjectura sumitur, hæc sub ætatem contigisse: hæc enim macerari solent, ut ex illis cremor exprimitur, et sicari, quo tempore calor maximè viget. (1)

VERS. 22. — TRANSIERUNT JORDANEM, DONEC DILUCESCERET (2). Accesserunt, ut apparet, adolescentes illi ad Davidem, qui longius jam fuerat ab urbe progressus, de nocte, imò fortasse altâ jam nocte, qui ubi primum de rerum statu, præsentique periculo cognovit, jussit ut omnes Jordanem trajicerent: in illâ vero

(1) VERS. 20. — TRANSIERUNT FESTINANTER. GUSTATA PAULULUM AQUA. Hebræus: *Transierunt rivum quemdam, vel rivum*. Septuaginta: *Pertransierunt pusillum aque*. (Calmet.)

VERS. 21. — SURGITE ET TRANSITE CITÔ FLUVIUM, JORDANEM. Hoc consilium Davidi dat Chusai, quia licet ipse evertisset consilium Achitophelis suadentis Absalomum ut illic persequeretur Davidem; tamen verebatur ne Absalom urgente Achitopheli et sociis mutaret mentem, et illic milites post Davidem submitteret ad eum capiendum. (Corn. à Lap.)

(2) VERS. 22. — TRANSIERUNT JORDANEM, DONEC DILUCESCERET, ET NE UNUS QUIDEM RESIDUUS FUIT. Jerosolymis ad Jordanem in Mahanaim iter erat viginti leucarum circiter, totumque emensus est David cum suis totâ diè ac nocte post egressum ab urbe Hebræus ad litteram: *Transierunt Jordanem usque ad lucem matutini, usque ad unum non defuit, qui non transierit.* (Calmet.)

transmissione totum tempus, quod supererat noctis ad diluculum usque matutinum posuerunt. Cum autem Jordanis terræ promissionis terminus esset, ex illâ terrâ ad regionem Galaditidem transgressus est, versus illam partem, quam tenuerunt Ammonitæ, de quibus statim.

VERS. 25. — PORRO ACHITOPHEL VIDENS QUOD NON ESSET FACTUM CONSILIUM SUUM (1), etc. Impatiens Achitophel repulsæ, quam tulerat non ab Absalome solum, sed etiam à toto populo, cum rejectum, repudiatumque esset consilium, quod ipse pro oraculo suscipiendum putabat; secessit statim à conjuratâ multitudine in domum suam, quam ubi disposuit, prout illius temporis ratio postulabat, innexo faucibus laqueo et incluso intra fauces spiritu, infelicem et impuram animam exhalavit. Cur Achitophel suspendium elegerit, conjectare difficile non est, si statuas virum esse insignis arrogantia. Nam qui ejusmodi ingenii, seu insanie sunt, quidvis libentius subeunt, quam ignominiam et dedecus? Quam ob causam plurimos voluntariam oppetiisse mortem legimus, ut dolorem, qui est à turpitudine, declinent. Sic sanè Brutus et Cassius, ne in manus Augusti Cæsa-

(3) VERS. 25. — DISPOSITA DOMO SUA, SUSPENDIO INTERIIT. Hebræus: *Præcepit ad domum suam, et strangulavit se*. (Calmet.)

Symbol. Achitophel proditor Davidis, fuit typus Judæ proditoris, qui pariter laqueo se suspendit; ait Angelom. et Rupert. (Corn. à Lap.)

Achitophel, voyant qu'on n'avait point suivi le conseil qu'il avait donné, s'en alla en sa maison, et ayant disposé de toutes ses affaires, il se pendit. Voilà une étrange fin d'un homme si sage selon le monde. On ne peut pas apporter plus de précaution ni plus de prudence pour faire la plus grande folie dont un homme soit capable, qui est de mourir en désespéré. Il conseille d'abord ce qui était le plus utile pour faire réussir l'entreprise d'Absalom. Il en prévoit la ruine parce qu'on n'a pas suivi son conseil. Il appréhende le supplice dont il était digne, après s'être déclaré comme le chef de cette révolte. Il se retire en sa maison. Il dispose de ses affaires, il pense à tout, excepté à Dieu et à son salut. Et enfin il se désespère, et il se pend.

Il était juste que celui qui avait conseillé au fils d'avoir un cœur de pierre pour celui qui lui avait donné la vie, n'eût point de compassion pour lui-même, et que par un arrêt secret de la vengeance du ciel, il devint son juge et son bourreau. Ainsi le ministre qui a trahi David s'est désespéré, aussi bien que le disciple qui a trahi le Sauveur; dont Achitophel était la figure. Le premier a paru plus cruel; le second plus avare. Le démon a possédé l'un et l'autre, et a terminé leur vie criminelle par la même mort. (Sacy.)



ris venient, qui Julii Cæsaris mortis ultor esse voluit, adacto in viscera mucrone, ignominiam redemerunt, quam ab hoste victore perferendam sibi apertè videbant. Sic Cato Uticensis ne serviret Cæsari, ejus consiliis obstinatò restiterat, suis sibi manibus mortem concevit. Eandem ob causam Abimelec Judicum cap. 9, et Saül 1 Reg. ultimo, ultrò sibi mortem accersierunt; alter, ne diceretur à feminâ peremptus; alter ne foret ludibrio Philistinis. Hæc eadem causa adegit hominem superbissimum Achitophelem, ut nodo sibi frangeret gulam, ne Davidi victori occurreret, ejus scelerato consilio filius foedaverat domum, et omnium acerrimè vitam insectabatur. Ita fermè Theodoretus q. 53: « Dedit Achitophel pœnas illius impiæ, et nefariæ suasionis. Et quoniam in patrem armavit filium, ipse rursus in se armavit manus, et iis laqueum collo injiciens, miserimum sustinuit finem. Nam cum ad rerum finem prævidendum esset idoneus, non admissâ ejus suasionem, Davidis futuram credidit victoriam, et timens proditorem, suâ manu de se sumpsit supplicium. » Eodem fermè modo Josephus lib. 7 Ant. cap. 9: « Convocatis, inquit, omnibus domesticis, exposuit eis, quæ Absalomo consulerat, addens quia non persuasisset certò se brevi fore periturum. Davidem enim omninò superiorem hoc bello fore, et amissum regnum recepturum esse. Præstat igitur, inquit, magno animo, ut virum ingenuum decet, è vitâ exire, quàm Davidi ob filio navatam contra eum operam excarnificandum se præbere. » Hoc idem tenent Abulensis, et Lyra. Exemplum habent quod imitantur, non pauci nostro ævo, qui domui suæ, ac filiorum commoditatî impensè invigilant, imò et immoriuntur, et ut illis benè sit, omni ratione student, sibi verò nihil provident, nisi laqueum, dedecus, et mortem sempiternam.

Ubi vulgatus, *suspensio interiit*, Hebraicè est *iechanac*, quod idem valet atque strangulatus, seu suffocatus est, et ita vertunt recentiores interpretes. Cum autem strangulationis multa sint genera, nam multis modis spiritus præcluditur et sublatâ respirandi facultate, illicò mors sequitur, hinc aliqui existimârunt alio modo quàm incerto faucibus laqueo strangulatum fuisse Achitophelem. Accedit quòd verbum Hebraicum est in conjugatione passivâ niphali; neque aliqua ostenditur persona, vel causa à qua strangulatus fuerit Achitophel. Et Septua-

ginta sine ullâ personâ, quæ ageret, ἀπὸ τῆς ἀνάγκης reddidère, quod idem valet atque *suffocatus est*. Quare strangulari potuit ab anginâ, ab immodicâ aquâ, ut in flumine, à bucellâ, quæ hæsit in faucibus, nec transglutiri potuit; imò et à pilo in lacte hausto, et acini grano, nam eo modo aliqui strangulati dicuntur. Plinius lib. 7, cap. 7: « Anaëron poeta acino uvæ passæ; Fabius senator prætor in lactis haustu uno pilo strangulatus est. » Propter hoc quidam haud dubiè ex Hebræorum grege, quos citat, neque tamen nominat Elias in Tisbi in radice שׂוֹכַר *sacar*, anginâ putant strangulatum, non laqueo. Sic autem ibi Elias: « Sunt qui in hæc significatione (nempe ab anginâ strangulari) exponunt illud 2 lib. Samuelis, cap. 17, de Achitophèle. Et præcepta dans domui suæ strangulatus est. Ubi dicunt, quòd morbus iste invaserit eum ob nimiam animi tristitiam, et dolorem, quo fuerit affectus, eò quòd non successisset consilium ejus, et quòd perierit strangulatione. Hoc autem ideò dicunt quòd putant absurdum esse dicere de viro sapiente, et prudente, qualis ipse Achitophel erat, quòd seipsum suspenderit. »

Sed est omninò tenenda vulgata translatio, quam alii penè omnes sequuntur. Et quidem Pagninus verbum *chanac* in conjugatione niphali, verbum docet esse reciprocum: sanè omnes Hebræi, quos mihi videre licuit, reciproco exponunt sensu. Sic Mardochai in radice מָרְדַּח, sic Hispanica translatio, jampridem à Hebræis ex Hebraicis codicibus expressa, ita vertunt, *e afogose*, quod multò ante dixit Josephus. Neque Hebræorum ratio quicquam habet momenti. Neque enim viri, quorum ante meminimus, imprudentes erant, et tamen ut ignominiosam mortem evitarent, suis sibi manibus mortem attulerunt. Præsertim cum hic non solum ignominiam et odium commune, sed etiam acerbissimam, et proditorè dignam mortem timere potuerit. Ignominiam et mortem timebant duo viri, et suâ, et aliorum opinione prudentes. Herennius Siculus, et Licinius Macer, de quibus Valerius Maximus libro 9, capite 12, et tamen ille cum in carcere rem deduceretur, in ejus postem illiso capite in ipso ignominia aditu concidit; hic verò sudario, quod habebat in manibus, ore, et faucibus coarctatis, incluso spiritu potè nam morte præcurrit. »

VERS. 24. — DAVID AUTEM VENIT IN CASTRA. Hebraicè *Mahanaim*, quomodò reliquerunt Septuaginta. Mahanaim autem castra significat:

sed hic est civitatis nomen impositum à Jacob Genes. cap. 32, v. 2, quando venerunt illi obviam angeli Dei. Quos cum vidisset, ait: *Castra Dei sunt hæc, et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, castra*. Elegit autem, opinor, David locum illum, quia ibi Jacob, cum fratrem timeret, Angelos habuit adjuutores, et ipse idem contra filium non dissimile sperabat auxilium. Tum etiam, quia civitas illa juxta nomen suum satis videbatur ad repugnandum munita.

ET ABSALOM TRANSIVIT JORDANEM. Aliquot arbitrò intercessisse dies inter appulsum Davidis in castra, et adventum Absalomis Jordane transmissio. Nam et ille juxta consilium Chusai expectare tamdiù debuit, quando totum Israellem congregaret, quod multorum dierum negotium fuit. Deinde quia ab his, qui Davidi subsidio fuerunt, attuleruntque pro exercitu cibaria, longè aberant à castris, sive Mahanaim, quales fuerunt Ammonitæ; et tamen Davidi ante Absalomis adventum illa oblata sunt. Et est verisimile magnam hominum vim interea se conjunxisse cum Davide, ex quibus tres acies conflari potuerunt; quas David tantæ hostium multitudini prudens opposuit.

VERS. 25. — AMASAM VERO CONSTITUIT ABSALOM PRO JOAB. Amasa cognatus erat Davidis, et sororis filius; cognatus item Joab, quia mater illius Abigail, hujus matris Sarviæ soror erat; utraque verò mater soror erat Davidis, et filia Naas. Erat autem hic Naas binominis, dicebatur enim etiam Jesse, vel Isai, ut patet ex lib. 1 Reg. sæpè, et ex Isaiâ cap. 11, v. 1, qui etiam vocatur Naas. Quòd autem idem sit Naas et Isai, constat, quia lib. 1 Paralip. cap. 2, v. 13, iidem filii, filia, atque nepotes tribuuntur Isai, qui hoc loco Naas: *Isai autem genuit primogenitum Eliab, etc., septimum David. Quorum sorores fuerunt Sarvia, et Abigail. Filii Sarviæ Abisai, Joab, et Asael tres; Abigail autem genuit Amasa; cujus pater fuit Jether Ismaelites*. Sed aliquid diversum esse video. Nam qui dicitur *Jether* lib. 1 Paralip. et *Ismaelites*, idem hoc loco dicitur *Jethra, et Jesraeli*. De *Jether* non laboro, quia eadem sunt litteræ radicales, et pro regionum varietate, varietas sunt dialecti, et qui alibi *Jether*, alibi appellari consuevit *Jehra*. De *Jesraeli* et *Ismaelites* magis est difficultatis; fortassè alicubi corruptum est nomen propter maximam similitudinem. *Jesraeli*, quod idem est atque *Israelita*, Hebr. dicitur ישראל *Ismaelites* ישראלית. Sed si mihi divinare licet, potiùs existimarem

Ismaelitem esse, quàm Israelitem: cur enim Israelitem diceret, cum nihil in eo nomine appareret novi? An novum est Israelitidem feminam Israelitæ viro nubere? Sed erat inusitatum et novum, conjugem habere Ismaelitam. Sed credo habuisse duo nomina, et reverà fuisse Ismaelitam genere, et Israelitem religione. Erat enim, ut opinor, proelytus, qui cum uxorem duxit Israelitidem, mutavit patriam, et nomen: et qui in patriâ dicebatur *Jethra*, Ismaelitide dialecto, factus jam Israelita vocatus est *Jether*. Nisi mavis Ismaelitam fuisse appellatum non nomine, sed cognomento, quia aliquando inter Ismaelitas commoratus est; quomodò supra diximus cap. 15, ad v. 18, sexcentos viros, qui fuerunt cum David, et Obed Edom, appellatos esse Gethæos, quia aliquandiu fuerunt in Geth.

QUI INGRESSUS EST AD ABIGAIL FILIAM NAAS. Modus iste loquendi aliquid indicat non omninò legitimum. Quare aliqui existimant Amasam ex furtivo concubitu fuisse susceptum. Quà de re nihil habemus certum, neque plurimi referunt illud explorare.

VERS. 27. — CUMQUE VENISSET DAVID IN CASTRA, SOBI FILIUS NAAS DE RABBATH FILIORUM AMMON (1). Statim atque David ingressus est castra, id est, civitatem Mahanaim, ex finitimis populis regiam conditionem miserati quamplurimi, tam regi, quàm multitudini, quæ illum è Hierosolymâ comitata fuerat, quæ usui esse poterant, contulerunt, tum quæ ad victum, tum quæ ad alios corporis necessarios usus pertinebant. In his fuerunt Sobi filius Naas regis Ammonitarum, et frater Hanon ejus, qui Davidis legatis turpissimam irrogavit ignominiam, quem David loco fratris constituisse existimatur in regno, ejus ille beneficii memor, illa attulit vel subsidia vitæ, vel dignitatis ornamenta, de quibus statim, nempe vasa, stratoria, frumentum, et si qua alia exigit naturæ necessitas. Fuit item Machir et Bercellai, qui in suâ gente, ac patriâ fuisse videntur locupletes, et nobiles. Quæ verò fuerint illa, quæ allata fuerunt, satis explicatè suppeditat textus; neque in his explicandis, aut commemorandis immemor, licet non omnes eodem accipiant modo. (2)

(1) MACHIR. Idem est Machir filius Ammielis, qui apud se retinuerat Miphibosethum filium Jonathæ, antequàm David illum Jerosolymam accivisset.

(2) VERS. 28. — STRATORIA. Quidquid necessarium est ad cubandum, cubilia, pelles, culcitas, linea, etc. Septuaginta Romanæ editionis: *De-*